

quam tribunal Dei, nullâ specie appellare possint. Quia tunc liquidò constat, hoc esse beneficium & medicinam, quâ non augetur malum aut in gravius aliud permutetur, sed sanetur. Vel si neq; sanatur peccator, neq; conscientie ullû prætextum nisi forte monstrôsè prorsus, allegare potest, quasi pietatis causâ in proposito perseverare cogatur: signum est hominis dati certissimò in reprobum sensum, in quo filium peccatorum morte abrumpi, & alios vindictâ & exemplo juvari præstat, quàm vivendo & peccando diutiùs ipsum thesaurizare sibi iram Dei. At qui contra regnum Christi & Israel em spirituales propriè in N. testamento peccant, de iis non liquidò constat pœnas corporales esse beneficium & medicinam convenientem. Sed vel augetur malum, si quam habent conscientiam, quâ conformes esse Christo & pati magis crucem quàm